

kanische Frage besaß. Er übte einen sehr großen Einfluß auf die katholischen Buchhändler aus und wurde oft zu Rate gezogen. Dom Pitra verkehrte mit ihm sehr gerne und zog großen Vorteil aus seinem Umgange.

Bei seinem Aufenthalte im Seminar an der Poststraße lernte Dom Pitra auch den Pater Libermann kennen. Es war dies der Stifter der Kongregation vom heiligsten Herzen Mariä, welche im Jahre 1845 mit jener vom heiligen Geiste vereinigt wurde.

Nach dessen Tod öffnete man unserem gelehrten Benediktiner das Archiv des Hauses und er schrieb nach dessen Briefen und Schriften, sowie nach den Erinnerungen der ersten Gefährten das Lebensbild dieses heiligmäßigen Mannes. Über den Wert und die Bedeutung dieser Biographie gibt es nichts Zuverlässigeres als das Urteil des Pater Schwindenhammer, welcher Libermanns Nachfolger als Generaloberer war.

„Dieses Leben unseres heiligen Stifters ist nach der Ansicht aller ein wahrer Schatz für unser Institut, welches nie aufhören wird, dessen Verfasser zu seinen größten Wohltätern zu zählen. Es wird erstrahlen lassen die Heiligkeit dieses demütigen Juden, den die Gnade wie den heiligen Paulus so wunderbar zu einem neuen Menschen umgestaltet hat; es wird zeigen, daß die Kirche immer noch fruchtbar an Heiligen, jenen wahren Helden der Humanität ist. Es wird allen, vorab den Priestern, den Seelenführern und den jungen Schülern des Heiligtumes ein vollendetes Muster nicht nur zum Bewundern sondern zum Nachahmen darbieten. . . Das Verdienst dieser wertvollen Ergebnisse kommt natürlich dem Verfasser dieses Lebens zu.“ (Brief an Kardinal Pitra vom 8. Dezember 1872.)

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. III./IV. 1907. pg. 541—549.)

Caput IV.

Brevis notitia Monasteriorum Congregationis Vallisoletanae.

Etsi praecipuum scopum nostrum tribus prioribus capitibus adimpletum fuerit, ad plenioram tamen Congregationis Vallisoletanae cognitionem addemus et alterum, quo brevem Monasteriorum ejusdem historiam trademus, sicut in praefatione hujusce laboris promissimus. Haec Monasteria, ut supra quoque adnotavimus, erant

quadraginta quinque, quorum Abbates in capitulo generali locum tenebant, ibique nominabantur; sed praeterea exstabant nonnulla Coenobia secundi ordinis, dignitate abbatali quoque insignita, et tandem plurimi Prioratus aliaque loca quae ex majoribus Monasteriis dependebant.¹⁾ Omnia haec Coenobia, ex decreto Capituli generalis anni 1745 a Benedicto XIV approbato die XXIV Martii 1749,²⁾ divisa sunt in quattuor nationalitates, seu provincias,³⁾ quarum prima vocabatur „de Galicia“ et comprehendebat Monasteria sita in Archiepiscopatu Compostellano, et Dioecesibus Tudensi, Lucensi, Auriensi, Mindoniensi atque Asturicensi, erantque sequentia; S. Martini de Compostella, S. Salvatoris de Cellanova, S. Juliani de Samos, S. Stephani de Ribas del Sil, S. Joannis de Poyo, S. Salvatoris de Lerez, S. Salvatoris de Tenorio, S. Salvatoris de Lorenzana et S. Vincentii de Monforte: secunda Provincia vocabatur „de Campos“, quae praeter eam partem Episcopatus Asturicensis, quae sita est intra Regnum Galloeciae, habebat Episcopatus Legionensem, Palentinum, Vallisoletanum, Salmantinum, Zamorensem, Abulensem, Segoviensem et Vicariam S. Aemiliani quae attinebat ad Episcopatum Ovetensem, in quibus exstabant Monasteria S. Benedicti Vallisoletani, S. Benedicti de Sahagun, S. Zoili de Carrion, S. Claudii Legionensis, S. Petri de Exlonza,⁴⁾ S. Andreae de Espinareda, S. Petri de Montes, S. Vincentii Salmantini, S. Isidori de Dueñas, S. Mariae del Bueso, S. Benedicti Zamorensis, S. Bartholomaei de Medina,⁵⁾ S. Mariae de Fromista et S. Mantii:⁶⁾ tertia Provincia „de Rioja“ denominata, complectebatur Archiepiscopatum Burgensem et Episcopatus Calagurritanum, Pampilonensem et Oxomensem erantque sita in eis Monasteria S. Aemiliani de la Cogolla, S. Mariae de Naxera, S. Mariae de Valvanera, S. Mariae de Hirache, S. Salvatoris de Oña, S. Joannis Bapt. Burgensis, S. Dominici de Silos, S. Petri de Cardena, S. Petri de Arlanza, S. Mariae del Espino, S. Mariae de Obarenes, Prioratus S. Turibii de Liébana,⁷⁾ et Abbatia S. Mariae de Piasca:⁸⁾ quarta denique Provincia „de Indiferentes“ dicta, erat dispersa per Archiepiscopatum Toletanum et Hispalensem ac Dioecesim

1) Vide supra Cap. II. Sectione II, § X, »Studien«, 1906, 593.

2) »Nuper pro parte«. Non invenitur in Bullariis neque in editionibus operum hujus Pontificis. Excusum est Romae typis Camerae Apostolicae, eodem anno 1749.

3) Antea jam, saltem ab anno 1610, dividebatur in tres Districtus, qui vocabantur »de Galicia«, »de Campos« et »de Rioja«, ut videre est in Constitutionibus.

4) Omissum est in Decreto, sed adscriptum erat huic Provinciae.

5) Abbatali potiebatur dignitate, pendebatque ex Monasterio Sahaguntino.

6) Etiam erat decoratum abbatali dignitate, et Sahaguntino subjectum.

7) Annexum erat pluribus abhinc saeculis Monasterio Onniensi.

8) Subjecta erat Coenobio Sahaguntino.

Seguntinam, atque per Principatus Asturiensem et Cathalaunicum in quibus inveniebantur Coenobia S. Martini et S. Mariae de Monteserrato apud Matritum, S. Mariae de Sopedran, S. Mariae de Huete,¹⁾ S. Benedicti Hispalensis, S. Mariae de Monteserrato Cathalauniae, S. Felicis de Guixols, S. Benedicti de Bages,²⁾ S. Joannis de Corias, S. Mariae de Obona, S. Salvatoris de Cornellana, S. Vincentii Ovetensis, S. Petri de Villanueva et S. Salvatoris de Celorio. Monasteria Monialium, quorum Abbatissae designabantur in Capitulo Generali, videlicet, S. Pelagii de Compostella, S. Pelagii et Stae Mariae de Vega Ovetensium, atque S. Mariae de Vega de la Serrana in Dioecesi Legionensi, nulli Provinciae adnumerata erant sed immediate jurisdictioni Abbatis Generalis subiciebantur.³⁾ De his ergo Coenobiis nunc juxta ordinem Provinciarum breviter tractabimus, praecipuos ipsorum successus consignantes.

Articulus I

Monasteria Provinciae „de Galicia“.

Erant novem: nempe, Compostella, Cellanova, Samos, Ribas del Sil, Poyo, Lerez, Tenorio, Lorenzana et Monforte.

§ I.

Monasterium S. Martini de Compostella.

Initia hujus celeberrimi Coenobii sub Alphonso II rege, qui ob insignem pudicitiam Castus dictus est, communiter ab auctoribus signantur,⁴⁾ vel saltem sub Alphonso III collocanda sunt, ut placet Florezio.⁵⁾ Unitum fuit Ecclesiae Cathedrali Compostellanae, et vocabatur „a Sancta Maria de Cortecella“ ex nomine Capellae in qua monachi divinum officium persolvebant, ut patet ex diplomate regis Ordonnii II anno 912 confecto.⁶⁾ Hoc tempore Sisnandus Episcopus novam Domum in loco „Pignario“ construxit ut si quis seniorum illius Ecclesiae voluerit praeteritorum criminum maculas perluere, ibidem sub Regula B. Benedicti vitam monasticam

¹⁾ Erat annexum Monasterio S. Dominici de Silos.

²⁾ Ejus Conventus compositus erat ex Monachis Coenobii Montserratensis, verumtamen Abbas fruebatur suffragio in Capitulo Generali.

³⁾ Monasterium S. Placidi Matritensis, de quo alibi locuti sumus, non invenitur in foliis electionum Capituli Generalis, itaque Abbatissa ejusdem ibi non designabatur.

⁴⁾ Yepes. IV. 47^v seq.; Argaiz, »Soledad laureada«, III, pag. 356. »Motivos legales que reverentemente expone á la alta Censura la Congregacion benedictina de estos Reinos«, etc. (sine anno, sed pag. 395 indicat scriptum anno 1735), Parte III. § III. Noticias de los Monasterios y sus fundaciones, pag. 381.

⁵⁾ »España Sagrada«, t. XIX, pag. 26, seq. edit. Matrit. 1792.

⁶⁾ Yepes. IV, App. Script. X: »Confirmamus vobis ipsam Ecclesiam S. Mariae de Cortecella, ubi prius fuit vestrum Monasterium« . . .

duceret.¹⁾ Idem Episcopus bona Coenobii confirmavit nulli dans licentiam serviendi nisi soli Deo et Regulae B. Benedicti Abbatis.²⁾ Licet monachi ab Ecclesia cathedrali semoti essent, tamen ad ipsam Capellam quotidie confluebant donec considerans B. Petrus de Mosonzo O. S. B. plura incommoda quae inde die noctuque proveniebant, parvum sacellum intra Claustrum Pinarii pro ipsis aedificabit, quod stetit usque ad tempora regis Alphonsi VI. Tunc enim Adulfus Abbas „vir sanctus et bonus“, cum videret augeri servos Dei, quos non poterat capere antiquum sacellum, illud penitus diruit, aliudque a fundamentis erexit, quod „ejus successor Leovigildus Abbas, ejus consobrinus, sanctitate et moribus probus“ perfecit, consecravitque celeberrimus Archiepiscopus Didacus Gelmirez die 15 Aprilis 1115, ipsoque die bona Monasterii atque loca ipsi annexa confirmavit, unde Coenobium valde potens atque opulentum evasit. Ad culmen tamen pervenit circa finem saeculi XV cum Monasterium S. Petri de Antealtare cum omnibus suis annexis ei unitum est.³⁾ Plura antiquitus habuit annexa Coenobia, inter quae memoriae digna sunt Sti Laurentii de Monsagro ab episcopo Sisnando an. 914 fundatum⁴⁾ et S. Sebastiani pariter ab eodem constructum et concessum „Monasterio S. Martini de Pignario quod situm est in urbe Compostella et Abbati ipsius Coenobii domino Guto et fratribus ejus, qui vitam secundum Regulam S. Benedicti vivunt, ut per ipsius Abbatis institutione(?) et ipsius Monasterii ut mittant ibi fratres Presbyteros in Regula sancta in praedicto Monasterio S. Sebastiani . . .“⁵⁾ Item S. Cypriani de Calogo, quod originem ducebat a Sto. Fructuoso, Bracharensi Archiepiscopo, et an. 846 habebat sexdecim monachos militantes sub Regula S. Benedicti, nonnullosque deinde praestitit, ut censet Yepesius, ad inhabitanda Coenobia compostellana.⁶⁾ Pariter annexum Sto Martino fuit Coenobium Stae Mariae de Mosonzo, quod a Sancto ejus Abbate Petro, postea Episcopo Iriensi, redditum est celeberrimum, multi enim credunt exinde prodüisse Antiphonam „Salve Regina“, qua B. Mariae V. toties quotidie salutamus.⁷⁾ Item eidem Pignario subjecta fuit Abbatia

1) »Historia Compostellana« — Lib. I, cap. II., edit. »España Sagrada«, t. XX, pag. 11 — Migne. P. L. CLXX, 895. Yepes t. IV. Scriptura XII.

2) Yepes. l. c. Scripturae X et XI.

3) De isto Coenobio loquendum est cum peragatur de Monialibus Congregationis, quae ibi ex variis Monasteriis collectae sunt exeunte saeculo XV.

4) Yepes. IV. pag. 54^v et 430, ubi extat Charta foundationis. — Argaiz, »Soledad laureada«, tom. III. pag. 357.

5) Yepes IV, Script. XIII. pag. 430; Argaiz, Op. cit. pag. 357: »España Sagrada«, XIX, 107.

6) Yepes IV. 54^v praecipue 93^v—94; Argaiz, op. cit. pag. 78.

7) Yepes, IV. 56. Argaiz op. cit. pag. 342; »España Sagrada« XIX, 174—188.

S. Salvatoris de Cinis a patribus episcopi Sisnandi fundata sub Regula S. Benedicti, cujus Abbas primus fuit vir egregius Sabarigus, qui postea creditur fuisse episcopus Dumiensis,¹⁾ et tandem, ne nimium crescat Catalogus, nominabimus tantum Coenobium S. Laurentii de Carguero an. 936 fundatum, et Abbatiali dignitate praeditum usque ad an. 1500, quo Sto Martino unitum est.²⁾ Possedit praeterea hoc Monasterium Compostellanum fere sexcentas Ecclesias, quarum beneficia ab Abbate providebantur, necnon et sexaginta oppida cum tribus millibus vassallorum, atque quinque insulas nempe, „On“ prope Pontemveterem, Salvare circa Iriam Flaviam, Framion, Arozam et Cortegadam³⁾ in Oceano, quae duae ultimae jam memorantur in supradicto diplomate Ordonii II.

Omnia bona exinde provenientia spendebant monachi in divinum cultum, aedificia sacra propiamque domum melioranda, atque in alendum pauperes ac peregrinos,⁴⁾ qui ex toto terrarum orbe ad Sepulchrum B. Jacobi Apostoli visendum confluent, quapropter asserebat noster Yepesius quod, estsi plures in Hispania

1) Yepes, loc. cit. 56^v 301; Argaiz, pag. 361.

2) Yepes, op. cit. 54^v; Argaiz, 448—49.

3) Haec Insula novissime dono data est Regi Alphonso XIII, qui palatium ibidem construere intendit ad aestivandum.

4) Digna certe sunt ut legantur quae ad rem scribebat Cl. P. Emmanuel Navarro in Praefatione operis sui »De Sacrosancto Trinitatis Myserio ad Abbatem et Monachos alloquens, quaeque fere de omnibus Coenobiis hispanis O. N. dici possunt.« Duo, inquit, tantum seligam numquam digne ponderanda, nimirum divinarum laudum cultum, et in pauperes beneficentiam. Ea enim est Monachorum in Choro assiduitas, noctu diuque ut nulla fere sit hora, nullum potius dicam momentum in quo pro summa Dei gloria, nostrorumque Regum salute et Reipublicae incolumitate non adsint coram Coelesti Numine plusquam septuaginta Monachi ejus opem implorantes, faustasque praecationes fundentes et divinas laudes cantantes . . . »Nemo est qui ignoret quam multi Peregrinorum mendicantium greges Compostellam adeant voti et Religionis causa, sacra limina Patroni Hispaniarum visitaturi. Innumeri etiam alii occurrunt pauperes et egeni Civitatis ac Regni in colae ibi cursitantes Omnes hi ad Monasterium nostrum, perinde ac in asylum salutis confugiunt quibus panis omni tempore diei erogatur: ab antelucanis horis limes Monasterii eo concursu mendicantium operitur, ut audentibus et exeuntibus aditus obstruatur, atque ita tota die ab his qui aliis succedunt usque ad multam noctem obseptus offenditur, quibus omnibus sine vacatione continuo panis elargitur et crebro etiam pani nonnihil oponsii adjungitur. Ter tamen in die, mane videlicet, meridie et vespere ingenshastrum jusculi et esculentorum eis, qui adsunt, propinatur et ab eleemosynario et servis iis portionibus distribuitur, quae etiam pauperum famem explere possint. Si qui tamen Advenae Ecclesiastici, seu alii qui verecundia publice emendicare prohibentur adventant, qui certe peregrinationis ergo, ibi frequentissimi sunt, ad honestum triclinium sevocantur, ubi cibo non secundario excipiuntur; posteaque ac aliis crebrius etiam et Ecclesiasticis semper, et commodum, vel intempestive advenientibus unicuique a D. Abbate duas minimum Drachmas in stipem erogantur; sed quia infinitum plane esset omnia persequi, quae de hac perenni nostri Monasterii beneficentia in pauperes dici poterant, paucis meliusque dicam Domum nostram esse Pauperum, Egenorum et Advenarum publicam in Compostella Ptocho throphiam.«

extarent ordines caritatis operibus dicati, nullus Coenobio Compostellano praecellere. Hac de causa Reges Catholici cogitaverunt adjungere hospitale quod pro peregrinis erexerant, verumtamen destiterunt fortasse quia minus esset consentaneum reformationi Vallisoletanae, quam ipsi totis viribus promovebant, et hoc Coenobium suscepit anno 1493. Exeunte saeculo XVI novam Ecclesiam aedificare coepit Abbas Antonius de Comontes secundo regiminis triennio (1595—97 †), illamque ad finem perduxit Michael de Luxan (1645—49), maiusque altare consecratum est sub eodem abbate V. Kal Maji an. 1661, qui fuit ultimus secundi ejus triennii annus. Haec Ecclesia adhuc exstat, anno 1902 que celebratae sunt ibi sessiones VI Congressus Catholicorum Hispaniae. Aedificia Monasterii pluries renovata sunt, et tempore Yepesii nostri aestimabantur inter praecipua Ordinis monastici in Hispania; deinde nova frons constructa est tali magnificentia ut nonnullis videretur magis conveniens magnatum palatio quam domui religiosorum.¹⁾ Extractis inde monachis an. 1835 gubernium illa pro militibus destinare jussit, tamen postea cessit omnia Emo. Cardinali Garcia Cuesta, qui ibidem Seminarium centrale instituit.

Observantia hujus Monasterii pluries laudatur, habuitque filios sanctitate ac doctrina conspicuos. Omissis, quos antiquitas celavit, specialem imprimis mentionem deponunt qui hic secus sepulchrum filii tonitruum degentes, postea fidem catholicam tum haereticis tum infidelibus praedicarunt, praecipue Ven. Joannes de Marvina, qui „nigram cucullam quam in Sto Martino subinduit, sanguinis ostro rubeam et micantem reddidit,“ pro fide gloriose occubens an. 1610, postquam Coenobii Duaceni fundamenta jecit;²⁾ sociusque suus Augustinus de Bradshaw, qui fuit monachorum

1) Certe Cl. P. Navarro exclamat: »Qualem domum! Nempe mole maximam amplitudine capacissimam, forma pulcherrimam et magnificentiam regiam.« Ut melius cognoscantur loca hujus Coenobii addimus comparationem quam faciebat an. 1865 R. P. Sanctus Salvado O. S. B. scribens fratri suo Episcopo Salvado, ex Archicoenobio Casinensi. En ejus verba: »Pinarío es grande, muy grande, pero Monte Casino no es pequeño, y además del Monasterio, capaz para una Comunidad de cien monjes, hay un Seminario que contiene en la actualidad 170 Seminaristas con todas las Cátedras necesarias para las diversas clases que se estudian . . . La Iglesia no tiene duda que es mucho mayor la de Pinarío, pero en belleza se va Pinarío á la geringa. Entre Coro y Coro hay muy poca diferencia. Pinarío tiene 96 sillars y aquí hay 88. Este Refectorio es grandioso, no me parece tan ancho el de Pinarío, aunque en largo allá se irán. La Biblioteca es mejor la nuestra en número, pero esta es mejor en calidad.«

2) Yepes, ejus amicus, vocat eum »Sanctum«, IV. 58^v seq. Bucelinus »Menologium Benedictinum«, pag. 841. — Hujus praeclari Martyris Vitam fusius scripsit P. D. Beda Camm, Monachus Erdingtonensis in Anglia, et primum lucem vidit in Ephem. »Revue benedictine«, an. 1895—97, deinde seorsim anglicio sermone Londini an. 1897 hoc titulo: »A Benedictine Martyr in England.« Causa Beatificationis bene procedit, ut videre est in Ephem. »Downside Review« 1907, July, 182.

anglo-hispanorum Vicarius; itemque Leander a Sto Martino, Sac. Theologiae Doctor, et Linguae Sanctae in Accademia Duacensi Professor, primusque Benedictinorum anglo-hispanorum Vicarius Generalis, „qui recudit in Belgio magnam illam Glossae ordinariae molem, perpulehris Characteribus et elegantissimis notis illustratam.“¹⁾ Eis novissimis temporibus aemulati sunt Benedictus Serra et Rudesindus Salvado, uterque Australiae Occidentalis Missionarius et episcopali dignitate insignitus, primus quoque Oblatarum SS. Redemptoris postea in Hispania institutor († 1887), alter Coenobii Neo Nursini excitator et Rector usque ad mortem († 1900), neonon et socii laboris Benedictus Marin, deinde Insulae Ceylon infatigabilis operarius evangelicus († 1876); Venantius Garrido, primus Novae Nursiae Prior religiosissimus († 1870), ejusque successor Sanctus Salvado, Conditoris frater germanus et socius (1870—79) † 1894.

Compostellanum pariter Coenobium illustrarunt Petrus Vincentius de Marcilla, „egregius Pentateuchi commentator et Tridentinae Synodus interpres et elucidator clarissimus, atque in variis moralibus consultationibus cordatissimus theologus“, Didacus de Almeйда, Regius concionator,²⁾ sed praecipue Cl. Emmanuel Navarro, Congregationis Magister Generalis majorque Definitor, Catholicorum Regum quoque Orator, in Accademia Salmantina Theologiae Professor et Doctor, qui egregiis operibus editis magnum inter Theologos nomen adquisivit.

Abbatess Sancti Martini de Pinaro potiebantur titulo cardinalitio in Ecclesia Compostellana ex quo unitum est illi Coenobium de Ante altare. Plurimi eorum extiterunt memoria digni, sed catalogus nimis prolixus esset si omnes hic nominaremus. Igitur praeter illos, de quibus mentio facta est in elencho Abbatum Generalium,³⁾ laudandi sunt Didacus de Hevia (1625—29; 1633—37), Salmanticensis Accademiae Doctor Theologus et hujus monasterii benefactor eximius sive dum illud magnis locupletavit muneribus, sive dum Cathedram S. Thomae in Compostellana Universitate per Monachos perpetuo moderandam et congruis redditibus dotatam erexit, qui tandem ad Episcopatum novae Cantabriae in America promotus est (1639); Ludovicus de Bustamante (1673—77), Regius concionator et primus Cathedrae S. Thomae moderator; Joannes de Landa (1677—81, 1693—4 †) inter Concionatores generales Congregationis adnumeratus; Josephus de Guzman ex nobilissima hujusce cognominis familia

¹⁾ Navarro, loc. cit. Argaiz, »La Perla de Cataluña« pag. 455.

²⁾ Navarro, loc. cit.; Argaiz, »Perla de Cataluña« pag. 453—4, 461.

³⁾ Hi sunt: Antonius Cornejo; Gregorius Parcerro, Episcopus Elnensis, Gerundensis et Derthusensis; Antonius Arroyo; Petrus Magaña, Episcopus Celsonensis; et Joannes Ron, hujus Coenobii professi; praeterea Didacus de Sahagun, Benedictus de Gaona et Petrus de Barba, ex Vallisoletano assumpti.

genitus, Congregationis major Definitor, regiusque Orator,¹⁾ Martinus Navarro (1697—1701) qui Reliquiarum thecam facere curavit, Domusque frontem construxit; Isidorus Arroyo, qui hospitem habuit Angliae Regem Edwardum Stuardum, atque abbatialem dignitatem gessit in Monasteriis Hirachensi et Exlonzensi ubi vita functus est; Joseph Lasanta (1759—61—65), qui plura opera perfecit et Bibliothecam plurimis voluminibus auxit, cui aemulati sunt Enneco Ferreras (1785—89) et Antonius Llorente (1797—1801). Tandem saeculo XIX. sequentes Abbates memorantur: Isidorus Gonzalez Urria (1801—5), qui postea fuit Procurator Generalis pro negotiis in Curia Romana pertractandis (1805), iterumque Abbas (1814—18), deinde Congregationis Definitor (1818), Visitator (1824) et Magister Generalis (1828); Theodorus Mosquera (1805—14) postea Definitor (1812—18); Angelus Ruibamba ejusdem Domus Lector Scripturae ac Theologiae Moralis (1818—24); Vincentius Alonso Blanco (1824—28) antea Monasterii de Espinareda Abbas (1814—18), et Congregationis Secretarius (1818—24), deinde Abbatum Elector (1828), et Negotiorum in Curia Romana gerendorum Procurator (1828); Bartholomeus Conde (1828—32), de quo supra dictum est fuisse Congregationis Praesidem (1851—59 †), et tandem Benedictus Garcia Guntin (1832—35), sub quo Monasterii dissolutio decreta est. Monachi²⁾ plures remanserunt in civitate, annoque 1865 obdormiebant P. Hyacintho Arias, qui in eodem Coenobio studia Theologiae regebat ab an. 1828 — obiitque anno 1868. — Samonen sibus adhaeserunt Alexius Dominguez et Remigius Hevia. Coeteri extra Clastrum vitam finierunt et quidem plures servientes Ecclesiis quae ad Monasterium pertinerant approbati a locorum Ordinariis.³⁾

§ II.

Monasterium S. Salvatoris de Cellanova.

Situm est circa montem Leporarium, tribus leucis meridiem versus civitatis Auriensis, in loco amaenissimo, quem selegit (di-

¹⁾ Navarro, op. cit.

²⁾ Ex catalogo generali Congr. ad hoc mon. pertinebant 144 monachi et 5 laici anno 1801.

³⁾ Inter plurimos hujus Coenobii tunc monachos praecipui erant, ni fallimur: Franciscus Sierra, qui an. 1818 fuerat Abbas de Tenorio; Petrus Gonzalez, eodem quadriennio Abbas de Espinareda († 1857?); P. Ant. San Mamed, Magister Scholasticorum Colegii Podiensis (1828) ibique Cathedrae Vespertinae Moderator (1832), postea Secretarius Archiepiscopi Compostellani († 1863); P. Salvator Ribera secundus Magister Scholasticorum apud Ovetum (an. 1828), deinde quoque apud S. Martinum, ibique Theologiae Moralis Lector 1832 († 1875); Hilarius Sainz, apud Ribas del Sil Studiorum Repetitor, postea Canonicus Doctoralis Portoricensis, et tandem Metropolitanae Ecclesiae Vallisoleti Decanus († 1881), etc.

vinitus admonitus, ut aiunt), Sanctus Rudesindus, Episcopus Mindoniensis ad vitam Monasticam ibidem constituendam. Ipsum dono accepit a fratre suo Comite Froylano Gutierrez anno 936,¹⁾ idcirco falluntur Ambrosius de Morales et Ant. Yepesius qui contendit fundamenta Cellaenovae jacta fuisse anno 935.²⁾ Aedificia completa sunt quinque post annos, statimque tradita monachis sub Regula S. P. Benedicti militantibus, eisque praefectus est vir sanctus nomine Franquila, qui jam ab anno 909 Monasterium S. Stephani Ripae Silensis regebat.³⁾ Beatissimus Pater Rudesindus, dimisso Episcopatu Mindoniensi, in Cellam novam se recepit atque obedientiam praedicto abbati praestitit,⁴⁾ post cuius obitum (c. 959) a fratribus rogatus regimen Monasterii sumpsit, habuitque per duode viginti annorum spatium nempe usque ad mortem, quae contigit die 1^a Martii 977⁵⁾ relinquens domum suis virtutibus maxime nobilitatam, necnon et opibus praediisque tam ipsius quam ejus matris beatae Ilduarae, fratrumque Froylani et Munionis, sororisque Adosindae non mediocriter locupletatam, unde ab ipso exordio inter praecipua Hispanicae ditionis Monasteria locum condignum obtinuit. Processu temporis adhuc ditior evasit, habuitque sibi subjecta quinquaginta Coenobia, ex quibus nonnulla erant fundatione antiquiora et abbatali quoque dignitate insignita, ut illud Stae Mariae de Nanton, de quo mentio invenitur an. 861;⁶⁾ item S. Salvatoris de Arnoya, quod deinde miraculis S. P. N. Mauri Abbatis valde clarum factum est in illa regione;⁷⁾ S. Eulaliae Mart. an. 826 fundatum ab Absalone Presbytero et aliquibus clericis qui cum eo decreverunt vivere „sub regulari disciplina in uno Coenobio ut secundum praeceptum Sanctae Regulae tam flagellis quam excommunicationibus nos corrigere debeas“;⁸⁾ Sti Petri de Rocas, cuius Ecclesia opere admirabili elaborata est in ipso saxo;⁹⁾ S. Columba de Naves, non longe a civitate Auriensi, quod erat pariter caput aliorum Coenobiorum,¹⁰⁾ et S. Petri de Vande prope Lusitaniam an. 1457 Cellaenovae

1) Yepes, App. t. V, 423. Script. I. male exscripsit Aeram, ut notant Argaiz, »Soledad laureada«, III, 375, et Florez, »España Sagrada«, XVII, 22.

2) Morales, Lib. XVI cap. XXXVII, pag. 391, edic. »Glorias nacionales«, t. II, 1852; Yepes, V. p. 18. seq.

3) Yepes, IV, 294 v, 301 v.

4) »España Sagrada«, XVII, 23. XVIII, 73. seq. 95. Yepes, V, 10.

5) »España Sagrada«, XVIII, 73, 77, 101; XIX, 161—65. Yepes, V, 11v. (Argaiz absque fundamento protrahit vitam ejus usque ad an. 978, t. III p. 379). Morales, loc. cit. pag. 392.

6) Yepes, V. pag. 28v.

7) Yepes, loc. cit.; Argaiz, Op. cit. III, 278.

8) Yepes, pag. 29; Argaiz, pag. 276.

9) »España Sagrada«, XVII, 25; Yepes, loc. cit. et t. IV, 198; Argaiz, pag. 278.

10) Yepes, loc. cit.; Argaiz, pag. 294.

aggregatum.¹⁾ Sunt quoque memoriae digna Monasteria Monialium Stae Mariae de Villanueva de las Infantas a matre S. Rudesindi, quae ibi habitum monacale suscepit, dotatum; et ubi etiam filia ejus Adosinda post mortem mariti se recepit atque munus abbatiale gessit;²⁾ Stae Mariae de Ribalogo a parentibus S. Rudesindi conditum,³⁾ et tandem S. Mariae de Mixos prope Verin, cujus templum ob imagines Christi Salvatoris ejusque Genitricis antiquis temporibus valde fuit a fidelibus frequentatum.⁴⁾

Praeter Coenobia supradicta plurimas quoque habuit Ecclesias suae jurisdictioni subjectas, necnon et magnam vasallorum copiam, quibus ob memoriam S. Rudesindi extraordinaria privilegia concessere reges catholici, qui ejusdem familiae sanguine nobilitati gloriabantur, ut videre est in diplomatibus a Yepesio nostro aductis.⁵⁾ Idem auctor etiam aedificiorum Monasterii et Ecclesiae magnificentiam pariter describit et laudat, meminitque insignium reliquiarum quae in ista asservantur, nempe corporis beatissimi Conditoris et Patris, et S. Torquati, Episcopi Accitani et Martyris, quod tempore mauricae irruptionis ad partes Galloeciae delatum, tandem sub Sancto Rudesindo in Cellanovam translatum est.⁶⁾

Nón floruit Cellanova tantummodo sanctimonia et rerum temporalium abundantia, sed illustris quoque fuit litterarum studii quae ibi jam ab initio excolebantur, unde, teste Yepesio, frequenter occurrunt in chartis illius archivii nomina monachorum „magistri“ titulo condecorata, Abbasque Pelagius, qui Monasterium regebat an. 987 vocatur „Abbas doctorum monachorum.“⁷⁾

Post obitum S. Rudesindi Monasterium gubernavit ejus discipulus Mamilanus, ab eo designatus, qui tamen paulo post solitudinis desiderio in eremum secessit donec a fratribus revocatus iterum gubernacula suscepit atque Coenobium in pristinum statum restituit. Aloytus, qui abbatiali dignitate potiebatur an. 1030 creditur ascendisse postea ad Cathedram Episcopalem Legionensem.⁸⁾ Sub ejus successore Arriano I Ferdinandus I Castellae ac Legionis Rex, Magnus dictus, bona, possessiones atque privilegia, quae praedecessores sui Monasterio concesserant, confirmavit.

1) Yepes, pag. 29 v; Argaiz III, 295.

2) »España Sagrada«, XVII. 24; XVIII. 74, 87, 90, 91, 93; Yepes, 24, 28.

3) Yepes, loc. cit.; Argaiz, III 365.

4) Yepes, p. 30; Argaiz pag. 286.

5) V, 22 v 23, Append. 428.

6) Yepes, V. 24 seq.; Morales, »Viaje Santo«, pag. 153, edit. Matrit. 1765; »España Sagrada« VII, 27; XVII, 23.

7) Yepes, V 32 v.

8) Ita Yepes loc. cit., sed ut observat P. Risco, »España Sagrada«, XXXV 58; admodum difficile est illum includere in Catalogo Episc Legionensium. Episcopus Alvitus, qui Sedem tenuit 1057—63, fuerat Abbas Samonensis, pag. 77.

Petrus Gundisalvus (Gonzalez) vocatur Servus Dei, obiitque Aera MCCIII (an. 1165). Petrus IV, qui Coenobio praeerat an. 1366, institutus fuit Archidiaconus Ecclesiae Auriensis, qua dignitate potiti sunt ejus successores, quapropter sedes huic dignitati conveniens servabatur semper in Choro Abbatibus Cellaenovae. Ferdinandus Perezius obiit an. 1362, et in ejus sepulchro insculptae sunt insigniae pontificales, unde noscitur quod saltem ab ejus tempore iisdem usi sunt Abbates hujus Monasterii, quod paulo post incidit in vastratices manus Commendatariorum, parumque abfuit quin illud everterent. Placuit tamen Domino ut ab ipsorum manibus eriperetur, cessione facta Joannis Colona, Cardinalis S. Mariae in Aquiro, et ita Congregationi Vallisoletanae uniri potuit an. 1506 paulatimque in pristinum statum restitui cura praecipue novorum Abbatum Martini de Orozco (1508—29), et Dionysii de Ontiveros (1514—43), qui alternatim diversis trienniis gubernacula Coenobii magno cum plausu habuerunt. Itaque Alphonsus de Valladolid, an. 1548 electus, magnum Claustrorum opus aggredi valuit, quod a successoribus perfectum est. Magister Claudius Tenorio (1595—1601) transtulit Reliquias SS. Torquati et Rudesindi in praestantiorum magisque securum locum, quod magno populi concursu factum est. Prolixum esset hic meminisse omnium Abbatum sequentium temporum omittendi tamen non sunt Alvarus de Sotomayor (1613—17; 21—23), qui obiit Abbas Generalis an. 1624; Rudesindus Moxica, pariter Generalis Moderator (1661—65), bis Definitor (1657—61; 1677—81) semel Abbas Neo montserratensis (1665—69), quinque vero Cellaenovae electus, nempe (1653, 1661, 1673, 1681 et 1685—89), unde plurimum suo Coenobio profuit, ibique plenus dierum decessit 24 Julii 1691; Petrus Blanco, Sac. Theol. Lector in Collegio Ovetensi, qui per biennium primo Monasterium rexit electus ob mortem Abbatis Josephi Sotelo (1723—25), deinde iterum atque iterum ad idem munus vocatus (1729—33, 1737—41), plura opera tum in Domo, tum in Ecclesia peregit; Benedictus Uria, qui pariter prima vice per biennium Coenobio praepositus, paulo post idem onus suscepit, deinde gradatim per dignitates ascendere meruit; fuit enim Visitor (1773), et Abbas Generalis (1777—81), et tandem Episcopus Civitatis ab anno 1785 usque ad 1810, quo post praeclara gesta e vivis decessit; tandem Ferdinandus de Montenegro, patria compostellanus, unus que e sapientioribus Congregationis monachis, qui ex Regente seu Praefecto studiorum Collegii Exlonzensis, Abbas Cellanovanus factus est an. 1781, deinde fuit Definitor (1785), postea Salmanticensis Abbas (1789), atque Ripasilensis, et Magister Generalis, et tandem Supremus Congregationis Praesul ab an. 1805 ad 1814, obiitque plenus meritis et diebus (aet. 85.) die 25 Jan. 1817.

Soeculo XIX floruerunt sequentes Abbates: Felix Victorero, hujus Coenobii Archivarius (1805—14; 1828—32), Congregationis procurator pro negotiis Curiae Romanae (1814), et Definitor (1832), qui Catalogum Praesulum hujus Monasterii ad finem usque perduxit;¹⁾ Laurentius Fejoo (1814—18), antea Visitator, deinde Concionator generalis, qui ob insignia in Congregationem merita, honoribus generalitatis cumulatus est in Capitulo an. 1832 († 24 Febr. 1834). Huic successit Anicetus Pastor (1818—24), postea Congregationis Visitator (1824), deinde Abbas S. Andreae de Espinareda (1828—32) et tandem Concionator generalis (1832, † 17 Julii 1833). Sequitur Vincentius Varcacel (1824—28), antea Hirachensis Praesul (1814), et Definitor (1818), quo munere decoratus est quoque an. 1828; hic obiit paulo post Conventus dissolutionem, quae contigit sub Patre Bonifatio Ruiz an. 1830. Monachis dispersis, Abbas Ruiz ob vitae ac doctrinae meritum Decanus Ecclesiae Asturicensis renunciatus est.

Inter illustriores hujus Coenobii monachos, memoria digni sunt Pelagius Rodriguez, qui ab infantia in eo vitam ducens, inde ad Sedem Iriensem extractus est an. 977, eamque tenuit usque ad 985, quo iterum in Cellanovam se recepit, ibique adhuc pluribus annis degit;²⁾ Ordonius, Prior, qui opus de Divinis officiis, vitamque S. Rudesindi composuit; Alphonsus de Arce, vir observantissimus, Stae Mariae de Obarenes Abbas (1598), qui doctrina quoque refulsit († 1635),³⁾ Leander de Vega, qui brevi tempore consummatus explebit tempora multa, et adhuc junior 27 annorum munus Magistri Novitiorum Cellaenova primum, Burgis postmodum adimplevit, ibique in odore sanctitatis decessit circ. 1654,⁴⁾ Maurus de Somoza Salmanticensis Accademiae Professor, atque Coenobii S. Vincentii Abbas (1661—65), et Congregationis major Definitor (1665), qui ob ejus in eandem praeclara merita primus honoribus generalitatis cumulatus est († 1680);⁵⁾ Antonius de Sotomayor, tertius Abbas restaurati, Coenobii B. Mariae de

¹⁾ «Catálogo de los Abades y Personages ilustres del Real Monasterio de San Salvador de Celanova», Videtur saec. XVII collectum et deinde a P. Victorero notis illustratum et usque ad an. 1835 perductum.

²⁾ «España Sagrada», XIX, 165; Yepes, V, 33; Argaiz, III, 380, qui alios Episcopatus ei tradit, Bracarensem Auriensem et Lucensem sed inmerito, ut videre est apud Florez. loc. cit. et Risco, t. XL, pag. 148. Argaiz praeterea inter monachos Cellenovae accenset Cresconium Epm. Lucensem (deest in Catalogo illius Sedis) et Victriarium pariter Lucensem Praesulem, neonon et Ferdinandum Perez atque Gundisalvum Aurienses; desunt tamen probationes. Yepes censet Priorem Cresconium fuisse postea Iriensem Antistitem, sed contradicunt Argaiz et Florez, loc. cit.

³⁾ Heredia (Ant.), O. S. B. Flos Sanctorum O. S. B. I, pag. 590; Argaiz, «Soledad laureada», VI, 407.

⁴⁾ Argaiz op. cit. pag. 303 seq.

⁵⁾ Catal. Ms. supra cit.

Monteserrato Pragensis 1661—1678, atque titularis Episcopus Samandrinensis, Pragae suffraganeus, „vir magnae pietatis, magnusque zelator cultus mariani.“¹⁾

Saeculo XIX florebant PP. Emmanuel Caballero, Calagurritanus, jampridem Coenobii Praesul (1793—97); deinde Abbas S. Petri de Villanueva, sociusque Abbatis Generalis (1814) Abbas Podiensis (1818) et Definitor (1824), † 25 Maii 1828; ejus successor apud Cellanovam Maurus Campo (1797—801), qui jam biennio rexerat Abbatiam Tenoriensem, fueratque pariter socius Abbatis Generalis (1793), deinde ab anno 1801 generalis Concinator († 23 Dec. 1820); Bernardus Samaniego, Abbas Celoriensis (1814), Visitor Congregationis (1818), et electus Abbas de Espinareda (1824); Ramirus Rochel, inter Magistros Generales computatus in Capitulo generali 1805, et in sequentibus (1814, 18) confirmatus: Bernardus Morchon, Abbas Sti Petri de Villanueva (1814), Lector tertiae atque linguae sanctae Professor in Collegiis Ovetensi (1818) et Podiensi (1828), Visitor generalis (1828) et tandem ultimus Abbas Exlonzensis (1832).

Monasterium Cellaenovae multis annis absque habitatoribus remansit, etsi enim Episcopus Auriensis monachis nostris anno 1866 obtulerit, isti utpote dispersi convenire non potuerunt; tandem a religiosis Scholarum Piarum occupatum fuit. Ex monachis superstitionibus ejusdem²⁾ tantum novimus Rmum. P. Gasparem Villaroel, jam pridem laudatum, et P. Froylanum Gonzalez qui pariter in Coenobio Samonensi vitam finivit. Item P. Innocentium Villasante, qui cum inter Samonenses vellet, quod superesset, tempus transigere, a propinquis dolo e Matrilo in oppidum suum delatus, obiit in itinere; et P. Nicolaum Zabalgoitia, canonicum Ecclesiae Cathedralis Civitatis (1863).

(Continuatio sequitur.)

Der hl. Bernhard von Clairvaux.

Sein Urtheil über die Zeitzustände. Seine geschichtsphilosophische und kirchenpolitische Anschauung.

P. Augustin Steiger, S. O. Cist., Marienstatt.

(Fortsetzung zu Heft III./IV. 1907, S. 490—506.)

Indem wir so in einigen kurzen Zügen den Entwicklungs- und Lebensgang des Abtes von Clairvaux uns vorgeführt und einige seiner Hauptbestrebungen gekennzeichnet haben, indem

¹⁾ »Album benedictinum« 1880, pag. 515; »Studien«, 1904, p. 661.

²⁾ Conventus Cellanovanus constabat initio hujus saeculi 100 monachis et duobus Conversis.